

**Tetamen [sic] medicum inaugurale, de natura aeris fixi, ejusque dotibus ...
/ Eruditorum examini subjicit Zacharias Neufville.**

Contributors

Neufville, Zacharias.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, M,DC,LXXVIII.
[i.e., 1778]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n9ymtk6q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61810/P

TETAMEN MEDICUM

INAUGURAL E,

D E

Natura Aeris Fixi, ejusque Dotibus.

Q U O D,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T.P.

ACADEMIE EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissime FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILIGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ZACHARIAS NEUFVILLE,

CAROLINENSIS MERIDIONALIS,

Soc. Med. Edin. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Sense and intellect must conspire in the acquisition of physical knowledge; but the latter must never proceed independently of the former. Experiment is that pillar of fire which can alone conduct us to the promised land; and they who lose sight of it lose themselves in the dark wilds of imagination.

BOLINGBROKE.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DC,LXXVIII.

i.e. 1778

356337

WELLCOME LIBRARY



Fratri suo dilectissimo

JOANNI NEUFSVILLE,

A R M I G E R O,

Cujus hortatu adductus,

Animum ad studium Medicinae suum adjunxit;

Nec non,

GEORGIO BELLINGER,

A R M I G E R O,

Ut parvulum ejus amicitiae,

Quae sibi cum eo complures per annos

Intemerata intercessit,

Monumentum,

Hocce Tentamen sacrum esse voluit

A U C T O R.

Digitized by Internet Archive

ДЛЯ ЧИТАНИЯ
СЕВОГО

СЕВОГО

СЕВОГО

СЕВОГО

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

Digitized by Internet Archive

Digitized by Internet Archive

Digitized by Internet Archive

<https://archive.org/details/b30376713>

T E N T A M E N M E D I C U M

I N A U G U R A L E,

D E

Natura Aeris fixi, ejusque Dotibus.

P A R S P R I O R.

STUDIUM in vera philosophica inquirendi, quo seculum nostrum modum in mirum teneatur, multum meritoque processit. Investigatio, libertate cogitandi et audacia suffulta, scientiae omnigenae profit oportet, et revera profuit; namque omnis fere philosophiae pars, vel falsis principiis, quae diu pro concessis fuerant recepta, detectis, vel notionibus mortalium, per

A

nova

nova semet ostendentia, haud dubie adauctis, aliquantum fuit exculta.

Chemiae praefertim, ambagibus insciorum et subdolorum caecis olim involutae, industria eorum et candor, qui animum suum ad eam explorandam nuper appulerunt, tantum lucis offudit, ut non amplius obscura intellectuque difficilis sit, sed, contra, sui studiosos magnopere erudit et oblectet.

Quinetiam argumenti hujusce tentaminis, ut aliorum non paucorum, notitiam philosophorum ho- diernorum industriae debemus. Aër fixus enim, quamvis admodum mirabilis summique momenti est, attentionem mortalium in se nuperrime tan- tum convertit; namque pauci solummodo anni praeterierunt, ex quibus in naturam ejus per *ex-perimenta* coeptum est inquiri. Prima tamen ex-perimenta, quam singularis fuerit momenti, satis ostenderunt; quod brevi in causa fuit, cur multi naturam ejus pro virili, et non frustra, investi- gare conati sint. Nonnullarum ejus proprietatum notitia multa phaenomena, quae olim non explicari posse visa sint, summisque tenebris fue-rint implicata, exposuit, et operationes rerum na- turae magis manifestas, intellectuque faciores, effecit. Nec tantum animo causas rerum cog-

noscendi

noscendi cupido, quaedam haec tenus ignota explicando, voluptatem praebet; sed, quantum ad medicinam attinet, non inutilis est. Immo est, cur aërem fixum multis in morbis, qui, quamquam se frequenter ostendunt, medicinae tamen raro paruerunt, remedium efficacissimum reperatum iri speremus.

Praeter aërem atmosphericum, compluria aëris genera vel fluida elastica comperta, et, utpote quae dotibus differant, in diversas species divisa. Caeterum hocce opusculum ea, quae *aëris fixus* fuit appellata, circumscribere decrevimus. Nomen, quamvis vagum parumque definitum, receptum est, et, nullo meliore reperto, in usu mansit. Quinetiam alia ei indita sunt, qualia, *gas*, *aëris mephiticus*, &c.; haec vero non magis definita vel idonea. Eum forsan nullo nomine accuratius designare poterimus, donec notitiam indolis ejus plenioram fuerimus adepti. Interea, quod in usu maxime communi fuit, id adhibebimus, eo, fluidum elasticum, quod frigore condensari nequit, quodque omnis fere substantia decomposita, si ita loqui liceat, edit, significantes.

Eum, vel experimentorum ususve medici causa, comparandi ratio facillima est, acidum *vitriolicum*

licum pauxillumque aquae aliquanto cretae, in pulverem redactae, adjicere; quod protinus subsequitur effervescentia violenta, magnave aëris progeneratio.

Hic idem incidere videtur, ut aliis in exemplis, ubi, duabus pluribusve rebus commixtis, partes unam alteramve componentes, prout leges attractionis mutuae aut electivae, uti appellatur, volunt, disjunguntur. Acidum cretae addendo aër, qui huic terrae statu in fixo firmiter adjunctus est, ab ea, creta acidi appetentiore, liberatur, et non citius separatur quam elasticus evadit.

Haec aëris *explicatio* est phaenomenon adeo mirandum, ut id philosophi summo ingenio praediti nequiverint rite explicare. Ex aliqua parte forsitan per quaedam philosophiae principia, fundamento satis firmo innitentia, potest exponi. Quos effectus calor in corpora edit, ii evidenter demonstrant, substantias diversas magis minusve volatiles esse, easve potius solidi, fluidi, vaporisve formam induere, prout calor, cui objiciantur, major minorve est. Quod hoc verum esse testatur, est exemplum aquae notissimum. Condicio autem hujus maxime solita est fluida; et igitur non pauci hanc ei omnino necessariam esse duxerunt.

duxerunt. Caeterum, temperiei infra certum caloris gradum objectam, in glaciem constanter mutari, vel, uti alia verba adhibeamus, formam solidam sibi assumere, compertum habemus. Si vero, contra, temperici supra certum gradum ob*jiciatur*, aeque constanter magis magisque fluida evadit, formam vaporis induit, et adeo subtilis fit, ut sensus humanos omnino lateat. Quantum omnes alias naturae res spectat, idem omnino incidere consuevit. Solidissimae etiam, ut metalli (1) lapidesque pretiosi, calore admoto, volatiles reddi possunt. Atmosphaeram ipsam, quae nobis circumdetur, quanquam aciem sensuum fugiat, calore non minus affici novimus; et igitur ratio gravissima non deest, cur eandem gradui frigoris intensi certo (uti vulgo, sed minus idoneè, loquimur) objectam, solidam sibi formam assumere posse concludamus. Cum, igitur, status fluidus a calore proficiscatur, et *vapor* quoque ab eodem majore admoto oriatur, nonne *aërem* ejusdem principii effectum majorem esse ponere licet; i.e. nonne substantiam quamlibet, solidissimam etiam, in species *fluidi* (2), *vaporis*, *aërisve* diversas calore verti posse, probabile? Ambigi vero nequit, quin diversa sint, quae, sub eadem temperie, eas species magis minusve prae fere ferant. Idcirco nihil

nihil amplius supereft, quam ut id, cui nomen *aër fixus* indidimus, temperie orbis terrarum naturalem non excedente, aëris, aliis rebus non admisti, formam habere fingamus. Hoc autem concessso, neminem, nostro judicio, latebit, cur ab hisce substantiis, unde vel per acidum additum, ignisve actionem, progeneratur, ut saepe fit, separetur. Priore in exemplo affinitatibus, quae inter res diversas intercedunt, notissimis ; in posteriore, calore, qui particulas omnium rerum expandit, et ita, ut aër fixus formam sibi elasticam assumat, facit, separatio evidentissime fit.

Eandem autem substantiam spatium adeo diversum, temporibus diversis, occupare mirabile. Dum aër fixus corporibus ipsis inest, spatium admodum exiguum, si cum eo, quod postea tenet vi elastica praeditum comparaveris, replet, compressione extēra utroque in exemplo aqua posita. Discrimen unum inter, et alterum idem forsitan est, quod i inter et 10,000, seu 15,000, interest.

Quomodo hoc fiat, vis imaginandi facile non concipit. Id principia philosophica non expnunt. Attractionem particularum minimarum legibus certis parere, et, dum particulae sese mutuo tangunt, maximam esse ; sed ad modum subito imminui, adeo ut ad distantiam quidem minimam

nimam agere cessebat, et ad majorem, in vim etiam repellentem, qua particulae a se invicem diffugiunt, mutetur, novimus. Quinetiam vim, qua particulae aëriae diffugiunt, eadem ratione, qua distantia inter centra particularum imminuitur, increscere memoriae proditum. Hoc vero difficultatem non tollit. Aërem a particulis massæ, unde queat liberari, absorberi dicere non sufficit; quod, qua ratione hoc fiat, demonstrare non possumus. In sententiam tamen hujusmodi concedere licet, donec aliquid ei contrarium pro certo probetur, affinitatem, nempe, vel attractionem particulas materiae solidæ inter et hunc aërem tantam esse, quanta proclivitatem ejus ad formam aëriam sibi assumentam exsuperare, et, ut rapide subitoque condensetur, et iis adjungatur, facere possit. Cum vero ratiocinia hujusmodi ab incepto nos longius traherent, de explicatione aëris fixi hoc tantum amplius dicemus, particulas ejus, antequam e substantiis, quae eam comprehendant, expellatur, sibimet invicem, corporumve ipsorum partibus arcte adjungi, oportere; et igitur non aptius pro fluido elasticō, quam aquam pro vapore, priusquam actione caloris in vaporem vertatur, posse haberi.

Quae

Quae aëris fixi quantitas e creta per acidum ei admotum potest expelli, ea est maxima. Drachmam ejus unam plures quam 150 *gas* digitos edere consueisse referunt (3). Hujus autem plus, quam tres quartae partes, ex aëre prorsus fixo constare solet; aliquantum enim semper adest, quod natura sua diversum est, uti mox ostendetur, cum ad eam necessitudinem, quae hunc aërem inter et aquam interest, dicendam fuerit per ventum. Quantitas vero a puritate terrae pendeat necesse est. Ea quidem terrarum classis, quae *calcareae* appellantur, plus aëris fixi, quam pleraeque aliae substantiae, continere reperitur; quamvis nihil forsitan, quod non aliquantum hujus in structura sua comprehendat, in tota rerum natura potest offendere. Cum terra hujusmodi pura est, nihil aliud forsitan, quam aër fixus ei adjunctum, et non difficulter potest evinci, vires agendi insignes, quae terrae calcareae actionem ignis per se ipsae insunt, non ab ulla, quam subierit, *mutatione*, sed ab aëris fixi jactura, quem ex ea violentia summa ignis expellit, pendere. Quintam potest demonstrari, hasce duas ejus dotes, nempe, quod ex aqua dissolubilis est, et insigniter acris, non ab ulla nova materia ab igne recepta proficiisci, hujus vero terrae proprias esse, quae semet

semet in ea hoc aëre saturata minus tantum evi-
denter ostendunt (4). Haec ab experimentis
Doctoris Black, qui in primis ingeniosus est, et
omnia fere attentione vere philosophica nunquam
non observat, notissimis plane deduci possunt.
Quae super hoc argumento compertus est, ea
summi momenti sunt, et, cur alii philosophi ad
idem prosequendum animum adjunixerint, in
causa fuerunt. Cum illius autem experimenta
acrimoniam terrae calcareae alkalique, ex hoc so-
lo, quod aëre fixo orbantur, pendere satis super-
que demonstrent, ejus expertia *caustica*, eodem
praedita *mitia*, appellavit. Quinetiam eadem ex-
perimenta effervescentiam acido alkalique com-
misto excitatam ab aëris fixi, qui posteriori inest,
explicatione; et potestatem in chrystallos postea
abeundi ab eo, quod alkali aëre eodem non va-
cat, proficiisci probant. Namque liquor causti-
cus alkalinus aëre fixo saturatus in chrystallos
postea verti potuit, et acidis admistus effebuit.
Exemplum hujus insigne in alkali volatili habe-
tur, quod sua natura aquam adeo appetit, ut so-
lida forma nequeat comparari. Cum aëre fixo
tamen coniunctum concrescit, in chrystallos mu-
tari potest, et acidis adjunctum effervescit.

Quae affinitates inter diversa alkalina intersunt,
eae compertae sunt, et hoc modo se habent:

AER FIXUS.

Terra calcarea calxve viva.

Alkali fixum.

Magnesia.

Alkali volatile.

Vix operae pretium esse notare ducimus, quod quaelibet e tribus substantiis inferius positis aëre suo, calce viva admota, spoliabitur; quodque calx viva inde mitis, altera vero substantia, propter aërem sibi ademptum, non effervescens redetur.

Ex hoc, quod calx viva majore aëris fixi desiderio tenetur, pro certo cogi potest, aquam calcis, utrum aër hujusmodi necne adsit, haud dubie esse demonstraturam. Aërem fixum enim e substantiis, quae eum contineant, si acido ignive expellas, et per aquam transire cagas, a calce protinus attrahetur, et cum ea confociatus fundum petit.

Aliis nostri argumenti partibus lumen fortasse offunderet, hoc in loco aequa accurate, ac possumus, statuere, quænam necessitudo aërem fixum inter et alia corpora intercedat. Et cum
hoc

hoc analysin ejus faciendo fuerimus conati, causa, nostro, judicio, non deerit, cur eum classi *acidorum* annumerare debeamus (5). Pleraque signorum, periculo ejus facto, edit, quibus utrum alia acida necne adsint dignoscitur; namque colorem caeruleum rubro, &c. mutat. Infusum litmi aëre fixo e terra calcarea per acidum expulso repletum, colorem caeruleum deponit, et vivido-rubrum sibi assumit. Quanquam vero hoc experimentum eodem modo constanter procedit; nonnulli tamen, praesertim philosophus peregrinus, aërem fixum nullas dotes acidi proprias habere contenderunt. Potestates vero hujusmodi, si ulla revera habeat, ab acido, quo aër e substantiis, unde comparetur, expellatur, oriri, partem acidi adhibiti volatilem reddi, et semet aëri admiscendo mutationem coloris facere, asseruere. Quinetiam fuit asseveratum, acidum singulare, nitrosum nempe, &c. in experimento adhibitum *sapore aquae* aëre fixo saturatae posse dignosci. Caeterum ratio gravissima est, cur sapores horum virorum aliqua ex parte vitiatos esse, et vim imaginandi judicium hac in re a vero detorsisse suspicemur. Per alias vero rationes, quod sententiae modo positae quam maxime adversatur, quam per acidum adhibitum, aërem fixum

fixum comparare possumus, et eadem acoris figura ab eo edi nunquam non comperimus. Insuper, experimenta *Beuliana* clare demonstrant, aërem fixum calore solo comparatum, eosdem omnino effectus, ac acido explicatum, in nonnullis e succis caeruleis vegetabilibus edere consuesse. Quaedam alia, equidem, infusa caerulea, ut violarum syrpus, &c. eodem modo mutari non poterant; cum alkali tamen conjuncta, et aëre fixo saturata, colorem viridem, quo ea alkali fuerat impertitum, amittebant. Quod non incidisset, nisi alkali acido fuisset saturatum.

Nihil amplius adjiciam, quam quod haec omnia experimenta, eadem repetendo, accuratissima esse compertus sum, et tantum pondus habere existimo, ut, quanquam multa alia eodem consilio instituerim, mentionem eorum facere prorsus supervacaneum esse ducam. Quo vero nihil dubitationis omnino supersit, unius meminisse conveniet, in quo aliqua carnis bovinæ frustula, uti putreficerent, in phiala fuerunt relicta, alteri cuius fini tubus vitreus curvatus firmiter adjungebatur, dum alter in infusum litmi demergebatur. Cum paucos dies stetisset, quorum spatio quantitas aëris reversa fixi explicata est, infusum colorem caeruleum amisit, et rubrum sibi assumpsit. Color tamen

tamen caeruleus pristinus, pauxillo aquae calcis addito, protinus restitutus est, et calx ad fundum descendit. Haec atque alia hujusmodi experimenta, in quibus nihil acidi aliunde petiti adesse suspiceris, et in quibus aëris fixus notas acoris nihilominus ostendit, aërem hoc genus acidis accensendum esse, clare evidenterque testari videntur.

Hucusque, in natura hujuscemodi substantiae aëriae mirabilis propria investiganda, adversus errorem satis forsitan tuti progredi possumus; caeterum hocce seculo, quo investigationes theoreticae tantopere invalescunt, multi hic sistere recusant, et in tarda quamvis certa scientiam per experimenta inquirendi ratione desudare nolentes, in conjecturas, difficultatem explicandi causa, vanas et fallaces processerunt. Alii (6) aërem fixum aëris communis et phlogisti conjunctionem esse posuerunt; alii (7) substantiam elementarem, quae phlogisto adjuncta aërem vulgarem ederet; alii (8) acorem in eo se ostendentem a natura ejus alienum esse, eumque nihil aliud esse, quam aërem atmosphaericum acido suo singulari per processum phlogisticum orbatum; alii (9) denique aërem fixum, omniaque alia aëris genera, conjunctione acidi phlogistique eorum, quae eum comparandi

comparandi causa adhibentur, fortuita fieri; et discrimen inter genera diversa a diversitate accidentum, ratione inter sece rerum componentium diversa, et aliis rebus, quae cum acido et phlogisto statu in concreto fuerint consociatae, et illis forsitan expansis adhaeserint, aut ad *gas* diversa componenda aliquid omnino necessarium contulerint pendere. Tot autem tamque diversas hypotheses excutere, haud operae pretium est. Postrema forsitan verisimillima, sed, me judice, nulli fundamento certo innititur. Et praeterea, si veram esse ponas, quomodo acidum phlogistonque conjuncta aërem diversave fluida elastica creent, haudquaquam exponit. Quaeri quoque potest, quaenam incident, cum aér progeneratus ab iis rebus, quae hoc praestare consuerunt, rursus absorbetur? Caeterum revera nimis paucas res veras ab experimentis petitas habemus, unde aliquid super hoc argumento, quod nuper tantum investigari cooperit, pro certo concludere possumus. Nonnulli chemici celebres existimarent, omnia acida diversa unum primarium tantum pro fundamento habere, et discrimina eorundem ab hoc aliisque principiis fortuito commistis pendere, et alia in alia posse mutari. Hoc conjecturae nondum memoratae originem prae-
buit,

buit, nempe, aërem fixum acidi nitroſi esse transmutationem (10) Investigationes hujusmodi animum nobis oblectant; fed, quod magnopere dolendum, nos ad extreum in dubio relinquunt. Igitur, cum aërem fixum, unde unde natum, notas acoris conſtanter edere, et dotes quoque, quae aliis acidis non infint, singulares habere comperiemur, eum, donec rem aliter ſeſe habere probetur acidum, et singulare, eſſe, credemus; nihil vero certius ſuper ejus compositione ſtatuere aggrediemur.

In rebus animalibus vegetabilibusque proceſſu fermentationis decomponeſtis, ſi ita loqui liceat, praeter alia phaenomena, quae eo tempore ſemet oſtendunt, magna aëris quantitas ſemper expellitur. Hoc olim quidem notatum fuit, et adeo revera perſpicuum eſt, ut neminem poſſit latere. Singularis vero ejus natura ſub initium non innotuit. Boyleus (11) doctiſſimus proprietates ejus aliquantum illuſtravit; namque eum flam- mam extinguere, animalibus nocivum eſſe, aërem vulgarem imminuere, et vires aliqua ex parte antifepticas habere, notavit. Hae dotes autem omnes, uti poſtea monſtrabitur, aëris fixi propriae ſunt, ut experimenta recentiora, eum ex toto fere revera ex hac aëris ſpecie conſtare, demonſtrant;

monstrant; calcem enim ab aqua calcis facile praecipitat, et alkali causticum eum absorbendo mite reddi potest. Quod ejus supereft, id *aer inflammabilis* appellatur. Omnes liquores fermentati quantitatem aëris fixi habeant necesse est, et haec major minorve, caeteris paribus, pro spatio temporis, per quod processui fermentationis fuerunt objecti, esse reperietur. Igitur, maximam quantitatem in liquoribus e byne confectis, et in hisce vinis, ut in *campano*, &c. ubi fermentatio a parantibus coeretur, semper offendimus. Vina, contra, valentiora, ut *Madeirense*, quam minimam quantitatem habere reperiuntur.

Aer fixus per fermentationem expeditus Doctori M'Bride conjecturam ingeniosam, explicacionem, nempe, ejus causam putredinis rerum animalium et vegetabilium proximam esse, faciendi occasionem subministravit. Argumenta vero, quibus hanc suffulcire conetur, parum ponderis habere opinor. In rerum putrefactione, partes diversas, quae eas integras conflent, a se invicem eo tempore dissociari notamus, et maxime volatiles, quibus aer fixus haud dubie est accensendus, primum aufugiant necesse est. Igitur, non intelligere possum, cur hujusc principii explicatio

pro

pro causa dissolutionis proxima potius, quam reliquarum partium separatio, debeat haberi.

Caeterum eum putrefcentibus admotum putredinem retardare, experimenta ejus quoque demonstrant, unde ea principium, per cuius jacturam fuerant redditia putrida, rursus recepisse concluditur.

Hoc autem notare liceat, quod nihil amplius super hoc argumento adhuc clare fuit probatum, quam quod aëris fixus progressum fermenti ultorem compescit. Quinetiam idem efficiunt multa alia, alia praesertim aëris species admota, indole sua ex toto diversa, aëris, viz. nitrosus, cui vires antisepticae, quam fixo, multo maiores insunt. Nihil vero aëris nitroſi, tempore processus, explicatur, et cum duae res adeo diversae idem praestent, aut neutram earum causam putredinis proximam esse, vel utramque, quod foret absurdum, dicamus oportet. Idcirco hanc in sententiam volentiores concedimus, naturam hujus processus tenebris spissis esse implicatam, causamque, quae eum protinus moveat, mortales adhuc latere. Certa quidem, ut calorem, humorem, &c. ei favere novimus; nihil autem omnino de modo, quo agant, compertum habemus. Vis aëris fixi antiseptica, quae ad conjecturam supra posi-

tam sustentandam plurimum conferre videbatur, acori ejus forsitan ex toto tribuenda est, praesertim cum aërem nitrosum hanc multo majorem habere comperiamus, et acida antisepticis nunquam non annumerata esse neverimus.

Praeter hosce aëris fixi fontes, quorum mentionem jam fecimus, terras, nempe, calcareas acidis ignive, et res animales et vegetabiles fermentatione dissolutas, magnae forsitan ejus quantitates, locis in multis subterraneis, ut in fodinis et cavis, reperiundae sunt. Aërem fixum vitae animali exitio esse, jam comprehendimus. Si in vas aërem, e qualibet substantiarum, quibus sponte natura adjungatur, expulsum continens *murem* includas, animal parvulum miserandumque momento fere extinguetur. Multi inopinantes effectus horum vaporum lethalium, qui adeo frequenter in fodinis cavisque sese ostendunt, funestos infeliciter sunt experti. Auctores non pauci effectus “vaporum et exhalationum” nocivos memorarunt; et Latini haec uno vocabulo *Mephites* (12) appellantur. Iis apud Anglos hodie nomen *Damp* indi solet. In duo autem genera dividit possunt; quorum unum, idque longe maxime commune, *Choak-damp* appellatur, et aër genuinus fixus esse creditum fuit, quod cum terra cal-

carea facile conjungitur, et alkali mite reddit, quo solo observationes nostras circumscribere volamus. Hoc in partibus fodinarum inferioribus semper reperitur. Alterum autem genus, quod *Fire-damp* vocatur, est verus aër inflammabilis, qui partes cavorum superiores nunquam non tenet.

Locus hoc genus maxime insignis est ille, qui ab Italib*s Grotto del Cane* appellatur, circiter bis mille passus Neapoli distans, qui que a magno canum numero, quem interemerit, nomen sibi adeptus est. Hoc cavum ingressu suo paulo depresso est, et in medio ejus vel ambulare, vel stare tuto licet, si modo caput humerique supra ostium ejus emineant; namque partem inferiorem tantum hic aër occupat. Si vero in cavum quolibet animal caput sibi demergat, eodem fere momento vita privatur. Omnem repente motum amittit, quasi in syncope concidens, membris interea convulsis et intrementibus. Omnes vitae notae mox evanescunt, si cordis arteriarumque actionem debilem vixque percipiendam excipias, quae brevi postea quoque cessat (13).

Haec vis aëris fixi nociva omni animali ex aequo perniciosa, quamvis plures canum, quam alia animalia, ei fuerunt objecti. Carolus Octavus, Gallus, asinum eo enecuit, et duo servi jussu pro-regis

regis Neapolitani, in eum demissi, capitibus ad fundum usque dependentibus, sublati sunt. Paginae multae ad mala, quae hominibus negotiis necessariis intentis, ut cuniculos agentibus, vel aliis, qui studio loca subterranea cognoscendi incensi in ea descenderunt, evenerunt, enarranda non sufficerent. Caeterum adeo nota sunt, ut non opus sit, ut ea referam.

In modum, quo aér fixus in vita perdenda agat, inquirere, animum potest oblectare, et forsitan non inutile est. Auctores antiquiores, qui hunc explicare aggrediuntur, cum nonnullis substantiis fossilibus, ut particulis mercurii, arsenici, &c. repletum esse, opinantur. Caeterum eos naturam ejus ex toto ignorasse, fatis evidens perspicuumque est, nec quilibet eorum se particulas modo comprehensas per experimenta detexisse afferere ausus est.

Nonnulli postea hoc aëre extinctos suffocatos esse, i. e. pulmones, elatere aëris perditos, collapsos esse, conjecerunt; aërem mephiticum quoque in pulmones immissum in causa, cur recens et necessarium aëris atmosphaericum supplementum eos ingredi nequiverit, fuisse, et hoc modo mortem intulisse putarunt. Summa vero ratio non deest, cur utramque conjecturam, eaedem enim revera sunt,

funt, falsam esse suspicemur. Quantum pulmonum collapsum spectat, nulla experimenta aërem fixum a vulgari elatere differre testantur. Contra, barometro in eo, ubi quam maxime condensatum esse ponere licet, collocato, altitudo mercurii non immutata est. Et quanquam aëris fixus ponderatus, communis, et etiam qualibet alia specie, gravior est; vires tamen ejus nocivae huic tribui nequeunt. Namque aëris phlogisto orbatus, qui, ut omnia testantur, atmosphaerico purior, eo gravior; dum aëris phlogisto praeditus, siue nitrosus appellatus, quamvis nocivi, leviores sunt. Gravitas quidem horum fluidorum aëriorum specifica a quantitate phlogisti, quod contineant, magna ex parte pendere, vel ea magnopere affici videtur; namque quo plus hujus principii habent, eo leviora sunt (14). Caeterum haec suffocationis hypothesis, me judice, absque ultiore examine, non immerito potest expelli. Cum enim animal viribus aëris fixi noxiis objectimus, quanquam actio ejus repentina et potentissima est, nulla unquam respirationis laesae signa notare possumus, quae haud dubie semet ostenderent, si theoria modo relata fundamento stabili inniteretur. Contra, animal constanter comatosum vita excedere comperimus, functionibus

nibus systematis quasi puncto oppressis. Quintam, pro ratione ejus virium, aegritudinem, languorem, animi deliquum, aliasque affectus soporifici notas, quae optime phrasí felice *sensuum ferratio* designantur, gravius leviusve invalescere neminem fugit (15). A nullo vero, quin haec signa systematis nervosi affectum adesse indicent, ambigi potest, et actionem aëris fixi, qui noxis adeo gravibus corpus adficit, in excitatione cerebri imminuenda, et in collapsu (16) faciendo, qui, pro viribus aëris statuque excitationis cerebri animalis laborantis naturali magis minusve funestus erit, consistere, afferere non dubitamus. Si vero in hac notione illustranda plus temporis opera deque ponere mus, longius forsitan ab incepto traheremur. Notae vitii, nisi sistema nervosum affici ponas, nequeunt exponi, et affectus nervos per olfactorios potissimum cum cerebro sese communicare videtur. Ad hoc firmandum conferunt effectus consimiles, quos edunt aliae substantiae, potissimum sulphuris fumi, qui adeo insigniter penetrabiles sunt, adeoque vitae perniciosi, quorumque vis nervis in olfactoriis acutissime sentitur. Insuper, cerebrum, igiturque totum sistema nervosum, facile, et, in plerisque exemplis, per hosce nervos intervenientes, repente exci-

tari

*An systema nervosum
sit vel non immediate*

tari posse notissimum est; cuius exemplum vulgare in salibus volatilibus naso admovendis, cum aliquis animo linquitur, habemus. Igitur excitationem cerebri imminui, collapsumque substantiis indole contrariis admovendis fieri posse, vide-re non difficile. Effectus aëris fixi funestos, per systema pulmonum intercedens, non edi hinc plane appareat, quod, absque ullis hujusmodi noxis, et etiam ut medicamentum, *inspiratus* fuit, ut in parte hujuscē tentaminis posteriore ostendetur.

Hoc tantum notandum supereſt, quod vitia horum aegrotorum, qui aëris fixi actione laeduntur, ad classem morborum nomine *Neuroſes* a Culleno designatam, et ad primum ejus classis ordinem, *Comata* releganda sunt, et *Apoplexiam* pro nomine generico habere debent. Accuratissimus vero Sauvagesius ea *Asphyxia* a *Mephitide* appellavit.

Alia aëris fixi proprietas insignis est vis, qua praeditus est, flammarum extingueendi. Si candela accensa in quantitatem ejus e terra calcarea expulsi immergatur, protinus extinguitur. Hoc pri-mum in causa fuit, cur vir illustrissimus D. Black eum eandem aëris speciem, ac Grotto del Cane, vel fodinarum propriam, esse conjecterit; namque potestas, quam vapores mephitici habeant, flammarum extingueendi adeo non ignota est, ut in fo-dinis

dinis occupati eam pro testimonio, utrum necne adsint, diu adhibuerunt. Candela taedave instrui optimum adverius exhalationes nocivas praefidum iis praebet; namque lumen flammae immunitum vel languescens, vel extinctio ejus absolta, pro certo, quamprimum aërem insalubrem offendit, incidit, et igitur eos periculi sui admonere consuevit (17).

Flammam absque aëre communi haudquaquam existere posse, multa probant. Rem ita sese habere sufficit, quanquam modum, quo incidat, exponere non conamus. Quinetiam, licet, cur ardentia aëre in fixo extinguantur, rationem reddere nequeamus; aliis tamen, quae aërem communem ad hanc caloris actionem omnino nefariorum esse ostendunt, hoc plane accensendum. Si theorias longe prosequi vellemus, in causam horum inquirere, curque aér fixus, cui tot aëris communis dotes insint, velut elater, &c. ab eo nihilominus, quantum ad multa attinet, tanto-pere discrepet, comperire foret operae pretium. Cum vero super hoc nihil pro certo possimus affirmare, silentio ex toto praeteriundum ducimus.

Cavum quoque ejusdem generis, cuius Italicum est, quod jam depinximus, prope Pyrmon-

tum

tum repertum fuit. Omnes dotes Grotto del Cane proprias habet. Vertigo, somnolentia, tandemque insensilitas absoluta, quam mors ipsa subsequitur, aëris, quem contineat, sunt effectus. Octingentos aut circiter passus a fontibus chalybeatis distat, et cum cavis subterraneis, quae aquae perfluunt, communicat. Hoc autem et quaedam alia comperta causam, unde virtutes harum aquarum celebrium pendent, plane expoununt; et notitiam quidem nostram indolis omnium fontium, qui metallicis, &c. imbuuntur, non parum auxerunt. Namque bonos effectus ab usu aquarum hujuscemodi praesertim Pyrmon-tanae, oriundos quantitate aëris, quae partem earum conflat, tribuendos esse, evidenter ostendunt.

Principium hisce aliisque aquis aëriū inesse, diu ante fuit notatum, quam natura utilitasque ejus innotuit. Igitur D. Rutty, in opere suo de aquis medicinalibus laborioso, efficaciam earum ab hocce principio parum pendere afferere, non dubitare comperimus: ‘The British and Irish chalybeates (inquit vir celebris) are impregnated with all the essential ingredients of the German waters, even not excepting the elastic vapour, of which some are so fond, but which seems to have very little share in the medicinal effects of

'the water.' Caeterum experimenta, quae postea has aquas imitandi consilio instituta sunt, et feliciter processerunt, intentiae ejus adversantur, et virtutes earum ab aëre fixo, quo praeditae sunt, ex toto fere proficiunt demonstrant. Quintam mortales verum, idque in primis admirable, docent, hunc, nempe, aërem, quem, non nullis substantibus, vitae admodum exitiosum esse ostenderimus, in systema tamen, non tantum absque periculo, sed etiam summa cum salute, recipi posse. E facillimo experimento, quaenam necessitudo aërem fixum inter et aquam intercedat, discere possumus. Aër e terra calcarea per acidum vitriolicum expulsus in quantitatem aquae purae transferatur. Hoc facto, aqua aërem sati prompte absorbebit, et, si experimentum rite procedat, plus aëris etiam, quam molem suam, dissolvet, et illius acoris pungentis et ebullitionis, quae in aquis medicinalibus *acidulive* adeo evidenter sese ostendunt, signa postremo dabit.

Vir quoque ingeniosus Lane, aquam hunc in modum aëre fixo repletam vim aliquantum ferrri dissolvendi sibi acquirere, compertus est. Insuper, experimenta ejusdem hanc aquam, postquam ferrum dissolverat, aëri communi objectam infusum gallarum tingendi potestatem ex toto amississe

amisisse testantur. Cum complures autem aquae chalybeatae hac potestate quoque orbentur, aëri objectae, cumque aquae ferrum acido vitriolico solutum continentest eandem nunquam amittant, quanquam sedimentum non parvum fundum aliquando petat, priores vim chalybeatam per aërem fixum, et non per acidum vitriolicum, sibi adeptas esse, non absque ratione gravi, concludit (18.)

Haec inventa, ut diversas aquas chalybeatas, potissimum Pyrmontanam, accurate imitari possumus, faciunt (19). Hujus vero analysis virtutes ejus a quantitate aëris fixi; quam in cavis subterraneis fonti vicinis absorbeat, et ab aliquanto ferri, quod hoc aëre repleta dissolvit, oriri plane et evidenter ostendunt.

Aërem fixum aquis medicinalibus inesse testantur sequentia: Si magna ejus quantitas adsit, saporem acidum et pungentem, et nonnihil ebullitionis, cum aqua communicabit, aquamque potantes aliqua ex parte ebrios reddet. Infusum litmi colore rubro impertietur; sed aqua hanc vim amittit, si diem unum alterumve, aëri subdita, maneat. Calcem ab aqua calcis quoque praecipitabit. Qua quantitate aer adsit, facile potest statui, et haec aliis in aquis admodum alia esse

esse reperietur. Maxime liberaliter in Pyrmon-
tana abundare videtur; sed quantitas in hac e-
tiam variat, et aëri in cavis fontis vicinis, pro-
rata parte, respondere confuevit.

In parte hujusce tentaminis superiore, affinita-
tem aërem fixum inter et terras calcareas adeo
arctam esse, ut aqua calcis, utrum hic aer multis
necne substantiis insit, semet huic adjungendo et
praecipitationem faciendo possit probare, jam
comprehendimus. Hoc inventum viro nobilis-
simo Cavendish est referendum, qui quoque aë-
rem fixum aqua commistum, ut terram calcare-
am aqua dissolvat, facere, et aërem aquamque
hoc modo conjuncta, cur terra calcarea multis in
fontibus suspendatur et dissolvatur, in causa esse
compertus est. Rem veram chemicam, at non
singularem (20), praebet, quod eadem substan-
tia, quae, ut alia fundum petat, facit, postea ad-
aucta demersam rursus dissolvit. Quam verum
exemplo in praesenti hoc sit, si aliquantum aëris
fixi in quantitatem aquae calcis aqua pura dilu-
tae, transferas, aliqua ex parte videbis. Aer cal-
ci protinus admiscebitur, et tota aqua, ob praecipita-
tionem, turbida evadet. Si vero plus aëris
addere pergas, calx gradatim rursus solvetur,
et aqua aequa translucida, ac olim, reddetur.

In

In notione ab hac aëris dote mirabili, modo posita, oriunda illustranda multum laboris operaerque posuit ingeniosus Percivallius. Quemnam effectum in calculos humanos aër fixus ederet, per experimenta periclitari decrevit. Portiunculas, igitur, calculorum diversorum in aqua aëre fixo quam maxime saturata suspendit, et, cum aër recens aquae subinde suppeditaretur, eventus experimentorum, quem antea expectaverat, idem omnino fuit. Calculus multum ponderis brevi amittit, et textura magis friabilis evadit. Haec, licet periculum complurium calculorum fiat, sese constanter ostendunt. Primum incident ponderis jactura et coloris mutatio, deinde textura friabilis et laxa fit, calculusque postremo in frusta ex toto abit. Haec autem experimenta cum iis, quae ab aliis fuerint instituta, omnino convenient (21). Quantae vero medicinae utilitati sint, postea dicetur.

Fontibus aëris fixi summo cum jure, me judice, potest annumerari animalium respiratio; namque multum aëris, qui in pulmones humanos ingressus est, notas aëris fixi proprias plane edit. Aërem respiratione imminui, et ad vitam sustentandam parum idoneum redi, olim fuit observatum (22). Ante aliquot annos a D. Black quoque

que fuit notatum, aërem e pulmonibus egressum aquam calcis praecepitare, et, cum hanc potestatem pro nota aëris fixi evidentissima habeamus, hunc partem aëris, quem spiravimus, aliquam saltem conflare concludimus. Quomodo aer fixus hoc modo dignatur, haudquaquam pro certo statuere possumus; quibus enim consiliis singularibus spiritus inserviat, vel quomodo aer vitae necessarius sit, nondum satis novimus. Aërem vitae humanae vero omnino necessarium esse, per se evidenter patet; utrum autem sistema necne aliquid utile ab aëre accipiat, vel aer, contra, aliquid nocivum a pulmonibus secum abducat, vel utrum spiritus necne et hoc et illud praestet, adhuc non compertum habetur, quamvis, super hac re, diu acriterque certarunt physiologi. Haec autem excutere conari a proposito nostro foret alienum. Fixum vero aërem a pulmonibus gigni negari non potest, et ii forsitan, qui aërem hujusmodi ex aëre communi et phlogisto componi contendunt, progenerationem ejus, dicendo phlogiston, quod systematis consiliis inserviverat, inter respirandum expelli, et aëri vulgari admistum in aërem fixum converti, explicare conabuntur. Opinione vero, aërem fixum e vulgari et phlogisto componi,

componi, jam expulimus. Nonnulli aërem fixum et phlogiston conjuncta aërem communem formare afferuerunt. Alii quoque, phaenomenis singularibus inducti, respirationem processum phlogisticum esse, et aërem fixum, praeccipitationem ab atmosphaera faciendo, extricare, phlogiston explicatum aëris communis, quam fixi, appetentius esse, et igitur posteriorem, illis conjunctis, praeccipitari oportere. Animalia etiam, ad quae quantitas aëris parvula tantum adspiret, quod phlogiston e pulmonibus expulsum aërem communem brevi saturat, quodque nullum est menstruum, si ita loqui liceat, quod id possit absorbere, fato concedere. Aër respiratione unam sui partem decimam aut circiter amittere dicitur (23).

Quanquam omnium substantiarum, unde aër fixus edi potest, ob per magnam carum varietatem, mentionem non injecimus; notandum tamen puto, calces metallicas magnam ejus quantitatem praebere. Si plumbi minime calx calori modico, ut candelae, objiciatur, multum aëris expelletur, qui omnes aëris fixi dotes habebit; namque flamمام extinguere, animalibus noxae esse, aquam calcis praecipitare, ut quaedam experientia a nobis instituta testantur, confuevit. Ante multos annos, metalla, dum in calces rediguntur, multum

multum ponderis sibi acquirere, et calces statum in metallicum rursus reductas detrimentum ponderis nunquam non capere, memoriae prodiderunt auctores. Quinetiam, dum calces in metalla rediguntur, magnam fluidi elastici quantitatem generari notarunt. Haec autem a chemicis sagacissimis exponi non potuerunt, et quibusdam conjecturis, mentione non indignis, fundamentum jecerunt. Alii (24) ponderis incrementum in calcibus a particulis ignis, dum metallum in calces redigeretur, absorptis oriri; alii ab hoc, quod metalla, inter processum, phlogisto suo orbantur, proficisci contenderunt; namque, cum phlogiston corporibus, quibus insit, levitatem inquiunt, plane conciliat, id calcibus erectum pondus eorum majus reddere putarunt. Hanc hypothesin suffulciendi consilio, phlogiston eum ipsum aethereum subtilem esse, de quo philosophi loquuntur, a quoque certum in modum digesto calor luxque pendent, videri fuit asseveratum; et igitur hisce, qui in recondita naturae altissime penetrarunt, id compluria alia phaenomena mirabilia, velut vires magneticas et electricas, et etiam gravitationem, facere, celeribus esse assentiendum (25). Insuper, hoc modo ratiocinari pergunt, si aliquod fluidum subtile et actuosum revera existat, quod

vim

vim magneticam electricamque, gravitationem, calorem et lucem faciat, id gravitationis ipsius legibus non parere, et a centro potius, quam idem versus, tendere, et igitur corpori cuilibet conjunctum id levius, quam antea, reddere ponendum. Cum vero experientiae quotidianae contrarium sit, quodlibet alii adjunctum pondus ejus imminuere; notatum fuit, multis, quamvis veris minimeque postea dubitandis, cum primum innotescunt, fidem non haberi confueuisse; et igitur non esse, cur hoc unicum et singulare exemplum, ubi aliquid rei compositae adjectum pondus ei immiuat, multis incredibile, aut faltem inexplicabile, videri miremur (26).

Absit ut sententiae auctoritate tot virorum gravissimorum sustentatae audaces adversemur; hoc tamen silentio non praeterendum ducimus, quod experimenta supra posita, quae aërem, inter metalla in calcis redigenda, imminui, et aërem fixum a calcibus liberaliter progenerari testantur, incrementum ponderis in his, nostro judicio, melius clariusque exponunt. Namque tantum opus est, uti metalla, dum in calcis rediguntur, quantitatem aëris circumdati, quae cum particulis eorum conjuncta gravitatem illis necessario adauget, sibi attrahere ponas. Hanc in senten-

tiam, seculo superiore, ivit medicus Gallicus, Joannes Rey (27). Nullum vero ejus mentionem fecerunt scriptores recentiores, donec in eandem, quibusdam experimentis super hac re institutis, concessit vir celebris Lavoisin. Hoc haudquaquam in dubio versatur; namque, ut metalla, dum in calces rediguntur, aëri objiciantur omnino necessarium esse novimus, et si aërem cum metallis conjungi concedamus, quomodo pondus iis, aëre adjecto, adaugeatur facile possumus intelligere. Hanc autem conjunctionem incidere ex aëre, dum calces statim in metallicum reducuntur, explicato evidenter constare videtur. Non tamen celandum est, phaenomena videri probare, certam tantum aëris atmosphaericí quantitatem, cum metallo posse conjungi; cum enim metalla certa aëris quantitate substante, in calces redigere conamur, operatio ex parte tantummodo, quamquam aëris non parum superest, procedit. Hanc rem ita sese habere testantur experimenta.

Hoc autem et quaedam alia, quod attrahitur, id magna ex parte aërem fixum esse probabile reddunt. Aërem vero fixum atmosphaerae admisceri non negabitur; aquam enim calcis, si absque tegmine relinquatur, crustam lapidosam

in

in superficie sua brevi habituram esse, notissimum est. Quod non aliter potest exponi, quam si aqua aërem fixum attraxisse ponatur. Cum igitur aërem e minio per calorem expulsum revera fixum esse, et metalla, nisi aéri objecta, in calces non posse redigi, hoc tamen, cum certa ejus quantitate circumscribuntur, ex parte tantum fieri, comperiamus, cumque atmosphaeram multum aëris fixi continere abunde confitetur; inde, nobis judicibus, hunc metallo adjunctum potissimum calces formare evidenter manifesteque cogi potest. Hoc ratiocinium multum firmat observatio Priestleiana, qui se nullum processum, quo aér vulgaris in fixum possit converti, novisse confitetur.

Ut aërem fixum atmosphaerae magna quantitate inesse modo probavimus, ita rationes multas, cur res ita sese habeat, non deesse videmus. Aërem hujusmodi per prima putredinis rerum animalium et vegetabilium stadia copiosissime progenerari, jam monstravimus, et, cum hicce processus ubique fere terrarum constanter perget, atmosphaeram terrae circumdatam eum ex hisce rebus evolantem nunquam non recipere, neminem potest latere. Respiratio quoque animalium multum ei adjicit, et idem praefstant montes ardentis ignesve subterranei, qui hunc et alia rerum, quas

quas consumunt, principia a se invicem sejungunt. Eodem modo agunt ignes ab arte petiti, multum aëris fixi, inter lignum aliasque substantias comburenda, qui partem eorum structurae confe- rat, constanter explicantes. Aliae forsitan causae ad aërem fixum in atmosphaera progenerandum possunt conferre; sed hae, quarum mentionem fecimus, praecipuae esse videntur, et ad eam magna ejus quantitate onerandam per se haud dubie sufficiunt.

Cum vero atmosphaeram dotibus suis nocivis minus salubrem reddat oportet (28), naturam aliquam ejus rursus tollendi rationem sibi compa- rasse, quam maxime probabile. Qualis haec sit, nondum pro certo statuere possumus; quaedam tamen non desunt, quae faciunt ut incrementum plantarum ad hoc praestandum non parum con- ferre credamus. Plantae enim in aëre respirati- one vel putredine vitiato celerius rapidiusve cres- cere reperiuntur, et puritas aëris post aliquantum temporis magna ex parte restituitur (29). Quam- vis autem putredine omnes substantiarum partes difflantur, et eae, quae volatiles sunt, atmosphae- ram petunt, et ad eandem vitiandam conferunt; cum vero aërem quoque fixum hoc in processu explicari supra demonstraverimus, plantas forsi-

tan,

tan, exemplo in superiore, hunc et alia principia nociva ex aequo absorbere ponendum. Caeterum, experimenta recentiora hanc conjecturam certiorem efficiunt; namque, si planta in vas aliquantum aëris fixi e terra calcarea expulsi continens indatur, color odorque ei per spatium temporis non parvum immutati manebunt, dum plantae ejusdem generis, sub dio, brevi pulchritudinem et colorem amittunt, languescunt, et flaccidae evadunt. Praeterquam quod plantas conservat aér fixus, incrementum iis diurnius reddit, cum a foliis tum a radicibus absorptus. Insuper, radices in aqua aëre fixo saturata collatae celerius increscunt pulchrioresque fiunt, quam aliae in aquam eodem destitutam demerae (30). Hoc tamen solummodo incidere solet, parvula aëris fixi quantitate et aquae et atmosphaerae admista. Alia enim experimenta (31), plantas puro aéri fixo, cum aëre vulgari non commisto, vel misturae e dimidia utriusque parte confitae, vel etiam uni parti octavae aëris fixi communis adjunctae, objectas perire demonstrant. Nihil vero hinc deductum objici potest conclusiōnibus ab hisce experimentis petitis, quae plantas parvulae ejus quantitati subditas laetius increscere testantur; etenim e multis exemplis, praesertim

e vegetabilium auctu, ea, quae parvis quantitatibus adhibita utilissima sunt, liberalius admota nociva evadere, manifestissime constat. Aqua etiam ipsa, quam incrementum plantarum potissimum promovere nemo negabit, nimis copiose applicata noxae evidentissimae est. Experimenta quoque Priestleiana aërem fixum plantis in aqua eo saturata collocatis profuisse indicare videntur. Cum, utrum stimuli diversi ad auctum plantarum necne conferrent, periclitatus fuisset, parvam salis quantitatem ei favere, majorem eidem obſistere compertus est. Idem omnino, acido nitroſo adhibito, incidit.

Si paulisper, denique, super quibusdam agriculturae principiis universis ratiocinari liceat, alias forsitan, cur aërem fixum incremento omnium vegetabilium amicissimum esse credamus, causas reperiemus.

Qui indolem eorum, quae foecunditatem telluri comparandi cauſa adhibentur, optime intelligunt, ii ea, praesertim meliora, fertilitatem, fermentum terrae excitando, facere opinantur. Cum vero modum, quo hocce fermentum profit, explicare conantur, longe inter ſeſe differunt. Alii nihil aliud agere, quam mafſas terrenas ſolvere, et inter ſeſe dividere, affirmant. Alii, contra, ali-
quid

quid falinum, stercoi caeterisque id genus, infitum agros foecundos efficere contendunt. Alii, denique, alias in sententias concesserunt, quas a nostro proposito foret alienum vel excutere vel repellere conari.

Multae forsitan e conjecturis eorum aliqua ex parte erroris expertes sunt. Ad incrementum vegetabilium promovendum haud dubie confert solum in particulas quam maxime redactum, et ab hoc nonnullae cultus agrorum partes praecipuae pendent. Experientia absque ulla theoria docuit, omnes res vegetabiles putrescentes ad terram foecundiorem efficiendam non parum conferre (32). Stercus ipsum, quod plerumque adhibetur, est substantia vegetabilis comminuta, falivae succisque ventriculi et intestinorum animalium admista. Igitur non omnino a ratione alienum esse videtur, putare aërem fixum ex hisce fermentatione expulsum aequem, ac alia quae partem iis integris confecerint, in vascula plantarum recentium recipi, et ad incrementum earum posse conferre. Hoc argumentum, utpote quod mirabile fit, attentionem summam meretur.

His, quae supra posita vegetabilium incrementum ad atmosphaeram a particulis nocivis repurgandam facere probabile reddunt, hoc accedere potest,

poteſt, quod arbores plantaeve juxta domos, me-
diſve in urbibus, conſitae et crescentes, faluti
eſſe, quod neminem fugit, longum per annorum
ſpatium creditae fuerunt, quamvis hujus cauſa
mortales latuit.

Actio calcis, cum in agrorum cultura adhibe-
tur, aliqua ex parte forſitan hinc potest exponi,
quod terram, cui ſuperimponatur, ad aërem fix-
um expediendum aptiorem efficit. Haec fermenta-
tionem vinofam quam maxime promovere no-
tissimum eſt; igitur fermentationem in folo, cui
admoveatur, excitando forſitan agit, praefertim
cum ſolum tenue deterius reddat, et frigido aci-
doque, quod ſua ſponte ad fermentum parum
proclive eſt, maxime proſit.

Hae res veræ, quodque inde cogi potest, ani-
mum ſtudiis philosophicis intentum et erudiunt
et oblectant. Principium in vegetabilium incre-
mento utiliſſimum et univerſum versari et ad eſſe
demonſtrant, quod omnem plantarum ſpeciem
alit et regit, quodque, ita naturae leges volue-
runt, faluti humanae aërem puriorem reddendo,
quam plurimum conſulit.

Cum aër fixus omnibus fere rebus ineſſe vi-
deatur, eum partes earundem diverſas, quaſi vin-
culo quodam, inter ſeſe conjungleſe fuit conje-
tum.

tum. Qui hanc in sententiam primus concessit, is fuit celeberrimus Haleſius, cujus experimenta accuratissima attentionem aliorum et industriam adeo excitarunt, ut non immerito forsitan profundamento omnium fere, quae super hac re postea fuerunt comperta, debeat haberi. Quae dotes vero aëris fixi propriae effent, et quomodo a vulgari differret, magna ex parte ignorabat. Caeterum hanc in sententiam, ex tempore ejus, multi iverunt, et in primis quidam vir celebris (33), qui fidem ei facere pro virili conatur. Hujus autem verba sequuntur, ‘The principle generally known by the name of fixed air, is the immediate cause of cohesion.’

Haec hypothesis quidem speciem veri praefert, et eam leviter intuenti etiam rebus veris infiniti videtur. Judicio nostro vero, nonnulla argumenta sunt, quae eam possunt convellere. Quod eam potissimum sustentat, hoc est, quod omnibus rebus animalibus et vegetabilibus aer fixus inest. Hoc quidem verum esse concedatur oportet. Aërem autem fixum partes harum diversas, quasi vinculo quodam, inter se connectere vix ac ne vix quidem probabile reddit; namque, uti nihil amplius dicamus, nonne alia, aequae potentia aequaque universa, hisce insunt,

qualia sunt sales, terra, &c. quibus aequo jure
firmitatem et soliditatem possis tribuere?

Aliud argumentum, hanc hypothesin suffulciendi consilio adhibitum, erat, quod aer fixus e substantiis diversis expulsus causa disjunctionis proxima esse videbatur. Sed in parte hujus tentaminis superiore hoc refellere sumus conati. Quod vero per se falsum est, id nihil aliud potest probare. Argumentum autem, cui nihil omnino objici potest, his omnibus accedit, metalla, nempe, omnium durissima, nihil aëris fixi in structura sua continere esse reperta. Denique, cum causas cohaesionis aliis in rebus alias esse improbabile videatur, in sententiam horum philosophorum, qui hanc naturae legem aliter exponere conati sunt, etiamnum non inviti, concedimus (34).

Quaedam aliae observationes ab experimentis aërem in fixum institutis deductae adhuc superfunt; cum vero dotes ejus notas minime illustrant, et nihil utile, in praesentia saltem, inde possit cogi, eas brevitatis causa praetermittendas putamus.

P A R S P O S T E R I O R.

Notitiam aëris fixi proprietatum non tantum animum causas rerum naturae cognoscendi cupidum delectatione afficere, sed, quantum medicinam spectat, summae mortalibus utilitati esse posse, supra posuimus. Proximum igitur est, ut virtutes ejus medicas consideremus, et causa, iudicio nostro, non deerit, cur materiam medicam eo et ditari et augeri existimemus.

In primis, experientia utilitatem ejus multis in exemplis prius magnam esse, quam dotes ejus proprie innotuerunt, testata est. Hoc e summis laudibus, quibus aquae medicinales, praesertim chalybeatae morbis in longis, ab ortu medicinae usque, elatae sunt, abunde constat. Quod auxilium mortalibus usus earum adfert, id haud dubie particulis ferreis magna ex parte tribuendum; praeterquam tamen quod aer fixus, multis in aquis, solus hocce metallum dissolvit, virtutes earum, quantum ad multa attinet, a proprietatibus aëris hujusmodi profici sci comperimur. In primis ventriculo gratus est, fibras ejus indole sua
acefcente

acescente haud dubie modice firmat, diuque adhibus prius hocce viscus, deinde sistema universum, efficacissime roborat. Et nihil notius est, quam quod in corporibus vitia per diuturna debilitatis ea tantum systematis corroborandi consilio adhiberi possunt, quae id gradatim tardeque praestant. Hinc, multis in exemplis, aquas chalybeatas valentiores, quae particulis ferreis admodum plenae corpus stimulant et calefaciunt, idem vero minime firmant, sub initium fugiendi necessitas. Fixus igitur aer, quem fontes medicinales contineant, hisce omnibus praecipiendus, qui sponte naturae infirmi sunt, quosve debilitatos emaciatores morbi dimiserunt.

Cum autem aquas hujuscemodi per artem accuratissime possimus imitari, hoc multis aegrotantibus, quorum tenuitas tanta est, quanta eos regionem in peregrinam aquas medicinales quaerendi causa demigrare non patitur, magnopere proderit, multisque incommodis, velut defatigationi, &c. quibus alioquin objicerentur, feliciter occurret.

Indoles aëris fixi antiseptica alia ejus proprietas est, qua mortalibus quamplurimum potest prodesse. Hanc ejus vim adeo notam evidenter esse jam comprehendimus, ut ejus expulsio

sio e rebus animalibus et vegetabilibus pro causa dissolutionis earum proxima fuerit habita. Quanquam hanc conclusionem falsam esse ostendere sumus conati; vires tamen ejus antisepticas per magnas esse confitemur. Frustra enim carnis, quae omnino putrida evaserant, in liquorem fermentescentem paucas tantum horas demersa, firma dulciaque rursus redditia fuerunt. Idem quoque incidet, si carnem putridam aëre in fixo, qui a materia fermentescente oriatur, tantum suspen das (35).

Auctori, cuius experimenta vim antisepticam huic aëri inesse demonstrant, eum ut medicamentum adhibere statim in mentem venit. Et brevi quidem postea, ut ejus in uno e morbis gravissimis, quibus genus humanum laborat, periculum fieret hortatus est. Hic morbus autem est scorbutus, qui in statu humorum vitiato plane consistit. Indolem hujusc morbi et causas accuratius depingere vetat propositi nostri ratio et brevitas; sed e variis medicamentis, quae in auxilium ejus promptissima fuerunt, rite consideratis, curationem a dote remediorum fermentescente pendere, conclusum est. Hinc opinio, aërem fixum idem praestitum esse, profecta est; praesertim cum remediorum fermentescentium efficacia

efficacia ab hoc ex toto pendere videretur. Idonea igitur experimenta, non absque difficultate sub initium, ut, utrum hocce ratiocinium a vero necne aberraret, dignosceretur, sunt instituta. Exitus eorum talis fuit, qualis multum praesidii totius generis humani saluti illinc oriturum esse, Britanniaeque praesertim multa nautarum, mortaliū utilissimorum, millia, quae gravitas hujuscē morbi rapere consuevit, quotannis conservatum iri, spondere videtur.

Aërem fixum ingerendi ratio optima est liquorem, qui Anglice *Wort* appellatur, adhibere. Hunc autem bynes infusum esse dicere supervacaneum. Periculum ejus, in modum supra dictum, a multis nuperrime factum ; et, in omni exemplo, vel scorbuto venienti potenter occurrerit, vel eundem, postquam semet ostenderat, facile sustulit. Historia etiam rationis, qua valetudo omnium navis amplae nautarum commoda, quamquam per omnes fere orbis terrarum plagas transferunt, complures in annos fuerit conservata, in lucem nuper edita utilitatem hujuscē liquoris summam esse, clare manifesteque testatur. Viro jure celeberrimo Cook, dum totam terram circumnavigaret, unum solummodo nautam morbo periisse affirmant. Quamvis hoc, admodum quidem mirandum

randum munditiae nautarum, continuo aquae recentis supplemento, aliisque sanitatem spectantibus rite observatis, magna ex parte tribuendum; liquorem tamen constanter adhibitum fuisse, cum vel scorbutus suspectus habebatur, vel signa ejus semet ostenderant, et haec nunquam non sustulisse comperimus. Denique virtutibus ejus adeo confidit hic vir laboris periculique omnigeni experientissimus, ut eum in scorbutum, quam omnia alia remedia, multo plus posse, non dubitet asseverare.

Medici quoque vim aëris fixi antisepticam aliis in morbis, praesertim in febribus, quae putredinis notas ostendunt, adhibuerunt (36). Usus ejus, in omni fere exemplo, magnam humorum ad putredinem proclivitatem corrigendo magnopere profuit. Diversis modis ingeri potest. Prinus alkali mite solutum, deinde acidum, ut succum limonum, ut effervescentia in ventriculo oriatur, moris est dare; vel humores, praesertim eos, quibus vis antiseptica insit, velut vinum, &c. eo quam maxime replere. Caeterum, multis in casibus, vel per se sub forma aëria, vel aliis humoribus praesertim fermentescientibus, ut bynes infusis, admistus, in alvum immittendus est. Hoc modo diarrhoeae putridae, quae in febribus malignis saepe

saepe semet ostendit, occurrendi consilio adhiberi potest, et revera adhibitus est. Si haec astrin-
gentibus compescatur, fomes putridus, uti omnes
norunt, in intestinis retinetur, qui et delirium et
febrim auget. Contra, si eandem pergere finas,
vires aegroti brevi convellit, morsque ipsa tandem
accedit. Aér vero fixus, rebus ita sese habenti-
bus, in intestina immisus mira praefstat. Diar-
rhœam cito compescit, calorem stercorisque foeto-
rem corrigit, brevique omne signum periculofum
tollit.

Per stadia phthiseos pulmonalis postrema, ad
aërem fixum e mistura cretae et aceti fermentes-
cente in pulmones inspiratum, (37) decursum est.
Compluribus in exemplis febris hætica non pa-
rum imminuta est, et sputum minus graveolens
concoctiusque evasit. Unus aegrotus ex toto re-
stitutus est, alter multo melius sese habuit, et ter-
tio, cui spes salutis nulla fuerit, vita per spatium
bimestre et amplius conservata est.

Eaedem ejus vires ulcerum inveteratorum pro-
gressum, et vulnerum ad gangraenam proclivita-
tem tardabunt et corrigent. Modus autem eo,
in casibus hujuscemodi, utendi est parti laboranti
cataplasmata fermentescentia admovere. Non-
nulla

nulla exempla in lucem edita sunt, ubi haec catalplasmata quam maxime profuerunt (38).

Aërem fixum dotem non minus mirabilem et utilem, quam vim antisepticam, habere, supra comprehensum; calcem, nempe, ex aqua calcis praeципitare, liberalius tamen adhibitum eandem rursus dissolvere, mixturamque omnino limpidam reddere. Experimenta quoque idem in calculo urinario praestare testantur. Hoc igitur eum vi lithontripica praeditum esse, non improbabile reddit. Multa remedia diversa, temporibus diversis, et ob rationes diversas, summis laudibus elata fuerunt; caeterum, quod dolendum, nulla eorum, absque summa molestia saltem, adhiberi possunt; adeo ut alia, ne vesicae noceant, alia, ne vitia iis, ad quae tollenda destinantur, graviora moveant, vitentur. Plerique igitur nullum medicamentum revera lithontripticum unquam repertum iri credunt. Aquam vero aëre fixo saturatam in calculum aqua calcis potentius agere; et quanquam minus, quam acidum vitriolicum alkalique causticum efficacem esse, effectus tamen magis universos, quam haec aut illam, edere consueuisse, affirmatur. Omnia vero experimenta per liquores extra corpus instituta nihil ferre probant, cum liquores vesicam urinariam vasa

per sanguifera ingrediantur, et, quantum dotes spectat, magnopere, et, nonnullis in exemplis, forsitan ex toto immutentur necesse sit. Caeterum satis clare fuit demonstratum, aërem fixum organa urinifera non difficulter attingere, urinam saturare, vimque suam solventem ei impertiri (39).

Haec omnia conjuncta infelices mortales calculo, omnium morborum forsitan gravissimo, laborantes spe afficere debent; remedium tandem in auxilium vitii sui promptissimum non longe abesse. Haec haud dubie talia sunt, qualia ut ejus periculum iterum iterumque faciamus suadent; et eventus forsitan adeo votis, ut unum e longo insanabilium ordine morbum possimus expungere, respondebit.

Si ulli rationi, qua urina aëre fixo liberalius saturaretur, quam aqua fit, insistere possemus, calculus celerius accuratiusque dissolveretur. Quintam eodem consilio alia remedia, quae multum hujuscē aëris manifeste comprehendunt, eodem tempore possunt adhiberi. Insuper, sphincter forsitan vesicae, absque multo incommodo, superari, et aqua saturata, viribus suis sistema transeundo haudquaquam imminutis, calculo, hac ratione, facilis admoveri potest. Non est cur vesicae metuas, et, cum exitus experimentorum extra corpus

corpus institutorum calculū brevi ibi diffringi ostendat, injectionem per spatum longum reiterandi necessitatem non fore probabile. Quaecumque igitur incommoda, parum diurna, ab ea oriuntur, ea omnia calculo dissoluto, et e corpore, summo cum aegroti levamine, foras expulso, satis superque tandem pensarentur.

Hoc modo pleraque aërem fixum spectantia in unum colligere sumus conati. Quicquid in praesentia de natura ejus et dotibus obscurum dubium est, ei observationes posteræ lucem forsitan offundent, haeque plenius intellectæ magnas naturæ operationes magis magisque patefacent. Nihil fere de argumento, in quod nuper tantum coeptum est inquiri, pro certo possumus affirmare; quaecunque igitur ab ejus, quam nobis hucusque sumus adepti, notitia effecimus et coegimus, ea nulla ex parte fallacia esse haudquam pertinaces contendimus. Quae ejus dotes mortales hujuscē seculi non latent, eae forsitan cum detegendis collatae paucissimæ reperientur; adeo ut ei, quamcunque nobis selegerimus, hypothesi fundamenta postea subrui possint.

A N N O-

ANNOTATIONES.

(1.) **M**ETALLA, argentum etiam et aurum, calore per focum speculi facto, volatilia fuerunt redditia: Ab experimentis apud Parisios institutis adamantem etiam in vaporem actione caloris, si aëri eodem tempore objiciatur, redigi posse discimus.

(2.) Nonnullae substantiae sunt, quae huic opinioni haud dubie videantur adversari, cum in vaporem, antequam fluidae evadunt, verti incipient. Hujus generis sunt camphora, sales volatiles, arsenicum, &c. Quamvis vero corpora hujusmodi sub pressura atmosphaerae communi, nunquam fluida possunt reddi, pressuram tamen aëriam augendo, et ea plus caloris perferre cogendo, eadem omnino fluida efficere possumus. Ita camphora, phiala vitrea communi circumscripta, ex toto liquefcit; aliter vero, sub forma vaporis, omnino aufugit, antequam calorem ad fese fundendam necessarium attingit. Quantum alia spectat, idem forsitan incidit; quorundam tantum vaporem, propter magnum ejus elaterem, coercere difficilius.

(3.) Boerhaave.

(4.) Quod in diversis conjungendis experimur, id hoc firmat. Acida enim et alkali, sibi invicem adjuncta, mitia et inertia fiunt, quae separata admodum subtilia et actuosa sunt. Acidum vitrioli forte et corrosivum principio inflammabili adjunctum, tantum abest ut fortius evadat quod sperares, ut, contra, aliiquid i-

nera

ners et mite, si id cum uno vel altero separato compa-
raveris, constituat.

(5.) Haec opinio a D. Beuley primum fuit profecta.

(6.) Rutherford, de Aëre fixo.

(7.) Priestley on air.

(8.) Fontana.—Vid. Ricerche fisiche sopra l'aria
fissa.

(9.) Chem. dict. vol. 3.

(10.) Vid. Priestley on air.

(11.) Vid. Boyle's works, vol. 4.

(12.) Hoc vocabulum Hetruscorum est, quod *flare*
aut *spirare* significat.

(13.) Compluria hoc genus loca antiquioribus nota-
funt, et unum a Virgilio modo sequente describi com-
perimus :

Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles. Densis hunc frondibus antrum
Urguet, utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis, ac torto vortice torrens.
Hic specus horrendum, saevi spiracula ditis,
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte voraga
Pestiferas aperit fauces : Quis condita Erinnys
Invisum numen, terras coelumque levabat.

ÆNEID.

Hae mephites etiam a Plinio, cum aliis ‘Terrarum
Miraçulis,’ notatae sunt ; et ita loquitur : ‘ Spiritus
Iethales aliubi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ
mortiferi ;

mortiferi; aliubi volucribus tantum ut Soraëte vicino urbi tractu, aliubi praeter hominem, caeteris animantibus nonnunquam et homini, ut in Sinueffano agro et Puteolano: Spiracula vocant alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. Item in Hirpinis amsancti, ad mephites aedem locum, quem qui intravere moriuntur. Simili modo Hierapoli in Asia, matris tantum magnae sacerdoti innoxium. Aliubi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura praecinunt, ut Delphis, nobilissimo oraculo. Quibus in rebus quid possit aliud causae afferre mortalium quispiam, quam diffusae per omne naturae subinde a-liter atque aliter numen erumpens?

Lib. 2. c. 93.

Praeterea, invenimus dotem hanc aëris fixi nocivam inter artes sacerdotum fraudulentas esse; ut sequentia demonstrent.

At rex sollicitus monstris, oracula Fauni
 Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
 Consulit albunea: Nemorum quae maxima sacro
 Fonte sonat, *sævamque exhalat opaca mephitin.*
 Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus
 In dubiis responfa petunt. Huc dona sacerdos
 Cum tulit, et caesarum ovium sub nocte silenti
 Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
 Multa modis simulacula videt volitantia miris;
 Et varias audit voces, fruiturque deorum
 Conloquio, atque imis Acheronta adfatur avernis.

VIRG.

(14.)

(14) Priestley.

(15.) Casus famuli, qui multum detrimenti a vaporibus carbonum lignariorum ceperat, accuratius, quam quilibet alias, quem viderim, descriptus est. Interrogatus se nullum oppressionis thoracis, suffocationisve sensum habuisse, affirmat. Caeterum, omnia signa systema nervosum multum fuisse perturbatum evidentissime monstrant. Vid. Percival's Essays.

(16.) Excitatio et collapsus sunt nova vocabula; nem o vero hac in academia theoriam, unde oriantur, pulcherrimam potest ignorare.

(17.) Vita flammæ citius aliquando, quam animalis, extingui videtur. Apud quoddam theatrum, conventu auditorum frequentissimo, candelas, dum partes agerent histriones, lucem languidam emittere, et non nullas earum esse extinctas, notatum est. Qui mortales aderant, ii languorem tantum querebantur; si vero, inquit Percivallius, unde hanc historiam sumpsumus, effluvia animalia ulterius fuisset accumulata, ii perinde, ac candelae, fuissent extinti.

(18.) Vid. Philosoph. transact. 1769.

(19.) Complures aquam aëre fixo implendi rationes repertae sunt; ea vero a Nooth inventa, praesertim cum postea fuerit exculta, elegantissima et certissima esse videtur. Quo plus aëris absorbeatur aliqua ex parte adhuc posset excoli forsitan. Hoc incideret, si pressura posset augeri, quod, me judice, praestaret, vel columnæ aquæ adaucta, vel pondus valvae superimpositum.

(20.)

- (20.) Multa e precipitatis per alkali metallis ex acidis solutis addita formatis, per additionem alkalini praecipitantis ulteriore rursus, quod partes separari possunt. Vid. Chem. Dict.
- (21.) Vid. tentamina Percivallii, et quedam recentiora a D. Falconer Bathoniensi in vulgus edita.
- (22.) Vid. Boyle's works, et Hales's staticks.
- (23.) Hales.
- (24.) Boyle, Lemery, &c.
- (25.) Newton.
- (26.) Black praelect.
- (27.) Vid. Essays de Jean Rey, M. D. sur la recherche de la cause pour laquelle l'Etain et le Plomb augment du poids, quand on les calcine.
- (28.) Una pars aëris fixi nona ad quantitatem aëris communis adeo nocivam reddendam sufficit, ut candela accensa ei objecta extinguitur.
- (29.) Vid. Priestley on air.
- (30.) Percival's experiments, confirmed by Henry.
- (31.) Priestley.
- (32.) In locis saltui Carolotonii in Suffexia vicinis, est moris agricolarum ramos arborum putridos a pauperculis, qui eos in partibus saltus inferioribus legere consuerunt, emere, eosdemque cum fimo commiscere.
- (33.) D. M'Bride.
- (34.) Ratiocinium subsequens viri mihi amicissimi, Joannis Ford, super hac re hoc in loco commemorabo, quod hypothesi novum lumen offundit, et ad eandem omnino subruendam nonnihil forsitan potest conferre.

LITERIS

‘ Literis tuis nuper acceptis, opinionem meam de re physica expetis, postulatum his constat verbis, annon aër fixus sit lex, principium, aut, (ut volunt aliqui), vinculum quo particulae materiae in universum inter se coalescere coguntur. Veritas hujus sententiae, phaenomenis a fautoribus allatis, mihi nullatenus comprobari videtur; lex naturae enim aliud quam natura ipsa exprimit; lex quippe in natura insita agendi ratio est; phaenomena quidem nil amplius quam naturae leges illustrant, illas evolvere nequeunt. Haec vero sunt effecta quae legis potestatem tantum exhibent. Magnitudo etiam et qualitas ad materiam pertinent; lex vero his ideis nunquam concipi potest, et causa materialis, qualis est aër, quoad magnitudinem et qualitatem, respicienda est. Taliusmodi argumentis haec ntitur opinio. Remoto aëre corporis solutio consequitur; quietiam, aëre adhibito, materiae animalis solutio tardatur. Cohæsio corporis prius solvitur quam ex illo aër effugiat, quia, ut aliqua mutatio corporis fiat, necesse est, ut causa externa adhibeatur; concessio enim aërem esse causam solutionis, quomodo unquam in corpore restaret, quum jam persuasum sit aërem corpore concreto competere?

‘ Coalescentia corporum in universum notatur, tam in fluidis quam in solidis, secundum plus et minus; proinde in universum extendatur oportet; sed in sese non agit, quia ut effectus producatur ponitur potestas agendi, ponitur etiam res in quam actio causae incidat. Suntque corpora aëre fixo subtiliora, qualis est aether;

his aërem esse causam coalescentiae, numquis concipere possit? Verum est etiam, ut successio et contiguitas nil probet; quia multa experimentis per analogiam inveniuntur; cum vero agendi causa potestas non rite ponatur, nil ex analogia sequitur. Insuper corpori, quo rarius, eo aëris major adest quantitas. Me taedet tamen opinionis tam pravae ulterius examen prosequi.

‘Inter arcana naturae restant semperque restabunt omnes causae, quas a priori intelligere volumus, quas mens humana capere nequit.’

(35.) M[‘]Bride’s essays.

(36.) Exempla sequentia ab auctoribus, quibus summa fides habenda, relata nos plane docebunt, quidnam ab usu hujus remedii sit expectandum.

Puella annos quindecim circiter nata, febre classis putridae laboravit, quae, licet omnia remedia communia fuerint adhibita, gravior graviorque evasit, et sexto die talia signa habuit, qualia ut in aliam curandi viam procederetur necessarium reddiderunt. Ad aërem fixum decursum est, et signa brevi mitiora evaserunt, et, nullo alio remedio dato, periculo intra quatuor dies vacavit.

In alio casu, priori simillimo, in quo ampliae petechiae multis in corporis partibus semet ostenderunt, in quo cerebrum fuit affectum, pulsusque arteriarum 125, aër fixus eodem cum successu prospero datus est; petechiae enim brevi evanuerunt, vires sibi rursus adepta est aegrota, pulsus plenior et tardior evasit, et febris

intra

intra spatum sex dierum per hoc medicamentum fo-
lum sublata est.

Tertio in exemplo non minus formiduloso, quamvis
aër fixus, donec mors appropinquare videretur, non
praescriptus fuit; ejus tamen usus effectus optimos
brevi edidit, et, absque ullo alio remedio, febris pau-
cis diebus decepsit.

Exemplum quoque variolae confluentis est, ubi mor-
bus brevi putridus evasit, et febris secundaria cum pau-
cis nullisve suppurationis signis accessit. Æger foeto-
rem horrendum emisit, et nihil aliud quam massa ex
toto putrida visus est. Rebus ita sese habentibus, ad
aërem fixum decursum est, et quatuor viginti horis
odor putridus multum est imminutus, et anima aegro-
ti minus foetida evasit, minus caloris et anxietatis sub-
fuit, pulsus plenior et tardior evasit, et, eum adhibere
pergendo, aegrotus ad sanitatem et brevi reductus est.

Haec exempla vim aëris fixi antisepticam ineffe plane demonstrant. Caeterum paragraphum epistolae,
quam nuper a medico celeberrimo Bristolensi, D. Farr,
accepi, addendum puto: ‘I have met,’ inquit ille,
‘with some cases of putrid fever, and those from the
absorption of the foul matter of an ulcer, in which the
f saline draughts given in the state of fermentation have
been of considerable service. And I have been also
witness to some instances of the benefit of fermenting
poultices in sphacelated limbs, and those arising from
a dropical habit.’

(37.) Aër fixus hoc modo adhibitus nullosque effectus funestos edens, eundem mortem, nullam noxiam primariam systemati pulmonum inferendo, haud dubie facere testantur.

(38.) Vid. London Medical transact. vol. 3.

(39.) Quidam juvenis generosus, Percivallio monente, magnas aquae mephiticae quantitates, per duas hebdomadas, quotidie bibit. Hinc urina ei aëre fixo adeo repleta est, ut complures calculos urinarios ex toto dissolverit.

F I N I S.